

Comment. In Danielelem

Deum esse non sentiat, & ea quæ tanta mente sunt, vt vix quisquam arte vlla ordinem rerum, ac vicissitudinem persequi possit, casu fieri putet? Sapientes illi externi qui alios eruditione anteire putabantur, ex rerum creaturarum contemplatione vnum esse Deum asserabant, qui eas gubernabat, qui cursus astrorum, qui mutationes temporum, qui rerum vicissitudines, ordine que conferuabat, & mundi fabricam pulchritudine ornata tuebatur. Vnde mûdus Græcè dicitur cosmos, hoc est ornatus, & pulcher. Mercurius Trismegistus eum ait ita appellari ob varietatem oritur, quæ omnia exornat. Pythagoras, & post eum Eustathius ob absolutam fabricæ eius admirabilemque feriem. Plinius quem ad hoc citat Cælius Rhodiginus libro quarto lectionum antiquarum, ob perfectam elegantiam. Eius verba libro primo naturalis hitorix hæc sunt. Quem Græci nomine oramenti appellauerunt, eum nos à perfecta absolutaque elegantia mundum. At omnis eius venustas à Deo dimanat: & ipse Dei laudes prædicat, nosque docet religionem colere & pietatem, & vim diuinam admirari, ipsumque Deum rerum omnium effectorem, ac opificem cognoscere. Vt numeri nos ducunt ad veritatem, vnde fluuit, ita res creatæ ad Deum, à quo dimanant. Est enim Deus vnitas, vt ait in libro numerorum Pselus. Eam ob causam Christus Deus noster ad creatorum contemplationem nos mittit, cum ait capite sexto Euangelij aurore Matchæo: Respicite volatilia cæli. Et paulo post: Considerate lilia agri. Si opera naturæ nos ad Dei ferunt notitiam, quanto magis opera gratiæ? Si id efficiunt creationis monimenta, quanto magis redemptionis? Ex parte nostra magis est, vt ait Augustinus, vnum impium iustificare, quam totum muodum confluere. Quid igitur dicemus verbis illis auditis: Dimittuntur tibi peccata tua, quibus Iesus Christus paralyticum allocutus eius animum expiauit, eique scelera omnia dimisit? Ac vt hoc crederent scribere dicentes solum Deum posse dimittere pecca-

ta, dixit illis, vt sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, attendite. Et ait Paralytico: Tibi dico: Surge: Tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. Et statim ita factum est. Quid, nonne Lazarum, & alios, qui è vita migrauerant, palam suscitauit, & ante oculos omnium viuos poluit, ac incolumes, eisque reditum ad vitam perspicuè restituit? Nonne hæc Christi opera nos ad eius diuinitatem credendam alliciunt? Nonne diuini nominis potentiam, & bonitatem prædicant, & clamant? Hæc sunt mirabilia, quæ ad memoriam, & immortalitatem consecrantur. Sed hæc non viderant tres illi pueri, qui fuerant in fornacem ardentem coniecti. At cum erga Deum amore flagrarent, res omnes creatas ad laudes eius concinendas inuitant. Eodem modo psalmographus dicens: Benedicite domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius.

Benedicite angeli domini domino. Coelestes beatos inuitant, vt secum vnà Deû celebrent. Achi dicant: Cantate nobiscum sanctissimo numini laudes vos ô nuntij, & ministri eius, quibus nihil est sanctius & antiquius, quam creatorem vestrum laudare, eiusque mandatis obedire. Eodem modo diuinus psalmes: Benedicite domino omnes angeli eius, potentes virtute, ad faciendum verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius. Achi dicat: Hymnos Deo cantate omnes spiritus coelestes, qui polleis fortitudine, qui impiorum copias aliquando ad interfectionem occidistis, qui verbum Dei, eiusque negotia exequimini, vt homines obediat voci dictorum eius. Et addit statim: Benedicite domino omnes virtutes eius, ministri eius. Spiritus illos coelestes quos angelos vocat, vocat nunc virtutes siue exercitus, quoniam sunt multi ordines eorum. Qua de re poteris videre Dionysium Areopagitâ de cælesti hierarchia. Hos alloquitur diuinus idè citharedus, cû ait: Laudate eum omnes angelis eius, laudate eum omnes virtutes eius. Illud est aduertendû, angelum esse aliquando nomê coelestis

Trifone.
Pythag.
Eustat.
Plinius.
Cælius.

Similitudo.

Pselus.

Mat. 6.

August.

Mat. 10.

Mat. 9.

Luc. 5.

Ioan. 2.
Luc. 7.

Luc. 8.

Pf. 102.

Pf. 102.

Dionys.

Pf. 148.